

# Berta etas mūdi

Anno mundi. 6203.

Anno xpi. 1004.

**J**oannes decimus nonus papa. patria romanus e regione porte metropolitane. 10 anni pontificatus. qui pontificatum iniens. ad oculum conuersus. Et ipse nil dignum memoria gessit. Is autem (ut quidam auctores ferunt) pontificatus sui anno quarto. mense item quarto moritur. Sepeliturque in basilica petri. vacat tunc sedes diebus vnde viginti.

**S**ergius eius nominis quartus papa. patria romanus. patre martino ortus fuit. post iohannem predictum pontifex successit. Vir sanctissime vite gratique consuetudinarius. Et ante pontificatum in ipso magistratu fuit in pauperes liberalis. In amicos et familiares iocundus. in delinquentes clemens. in contumaces modestus. Tante preterea prudentie fuit. ut toto suo pontificatu nil commissum sit. quo merito reprehendi gubernantis negligentia posset. In deum enim mentem omnem conuertens. quod facere pontifices omnes deberent. iuste atque integre omnia ex animi sui sententia bene natura et moribus instituti gubernabat. Interea vero huius consilio et monitionibus principes ytalie composito federe consilia ineunt pellendi sarracenos e sicilia. idque moliri paribus animis et copiis instituit. Unde et Guillelmus magni Langredi normannie ducis filius adiuantibus etiam campano et salernitano principibus illos e sicilia breui temporis spacio expulit. Dum hec in ytaliam et apuliam agerent. laborante ytaliam et fere toto urbe terrarum fame ac peste Sergius vir sanctissimus secundo pontificatus sui anno. die. xv. moritur. sepeliturque in basilica petri. vacat tunc sedes diebus octo.

Anno mundi. 6213.

Anno xpi. 1014.

**B**enedictus octauus papa. patria tusculanus. patre gregorio. Qui inito pontificatu et in demortui ottonis tertii locum henricum imperatorem secundum institutionem gregorii quinti creatum corona imperii donat. Inde omnibus in rebus henrici cesaris defensione utebatur. Sed eo mortuo defensore e sede pulsus per seditionem. alio in locum eius successore pellitur. Vix postea inuicta cum inimicis suis concordia. pulso adulterino pontifice. in urbem eius dignitate rediens. Nec multo post undecimo pontificatus sui anno. mense vno. die. xij. moritur. Sepeliturque in basilica petri. Sunt etiam qui referant precipue petrus damianus doctor de isto benedicto. episcopum quendam vidisse die quadam in solitudine hunc benedictum papam equo nigro insidentem. eumque interrogasse. quid cause hoc esset. cur mortuus equo nigro veheret. Respondisse dixit. grauius torqueor. Tum benedictum hominem rogasse. ut pecunias quas occultauerat (locum indicat) pauperibus suo nomine erogaret. Nam que antea date fuerant elemosinarum nomine. nil ei profuisse. quia ex rapinis parua costabant. fecit mandatum episcopus. ac statim episcopatu se abdicans et vitam monasticam amplexus est.

**J**oannes eius nominis vigesimus papa. patria romanus. patre gregorio. episcopus portuensis ut quidam volunt vel ut alijs placet nullis sacris ante iniunctus pontificatum munus suscepit. eo tempe quo conradus in demortui henrici locum imperator creatur. accepta deinde ab eo imperii corona. Que postea romani seditionibus et apertis prelijs plurimum vexauere. Sed Conradi cesaris auctoritate et potentia liberatus fuit. Romanis quoque exitum interminatus est si diutius queadmodum ceperant pontificem seditionibus vexassent. Joannes autem cuius vita mirifice laudatur. Undecimo pontificatus sui anno. die nono moritur. vacat tunc sedes diebus octo.

Anno mundi. 6223.

Anno xpi. 1024.

**B**enedictus eius nominis nonus papa ut quidam volunt benedicti octauus nepos. patria tusculanus. patre alberico. Hunc romani tanquam homines ignauum et nullius precij perosi e sede reiciunt. In eiusque locum sufficiunt Joannem sabinum episcopum. Siluestrum tertium appellantes. Quo post nouem et xl. dies pulso. denovo benedictus restituitur. Is autem post mensem et die. 21. cum cerneret se iterum subiturum eadem discrimina. Joanni archidiacono sancti Joannis ad portam latinam qui postea Gregorius sextus appellatus est. pontificatum munus libere cessit. vel (ut quidam affirmant) vendidit. Hanc obrem merito ab omnibus benedictus ipse accusatus est. et iudicio diuino damnatus. Constat enim simulacrum eius admodum monstruosum post mortem cuidam apparuisse. Interrogatusque quid illa horrenda ymago pre se ferret. cum antea pontifex fuisset. quia inquit in vita sine lege et ratione vixi. Ideo volente deo et petro eius sedem omnibus probis sedauit. simulacrum meum plus feritatis quam humanitatis in se habet. Nam cum annis decem mensibus quatuor. diebus nouem per intervalla sedem petri occupasset. tandem moritur. Nec vacasse tunc sedes dici potest cum pontificatum vendiderit. Scilicet igitur. xliij. ecclesie confusione ac scandalo plenum fuit inter benedictum et alios.

Linea summorum pontificum  
Joannes decimus nonus



Sergius quartus



Benedictus octauus



Joannes vigesimus



Benedictus nonus

